



Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica

Ab anno Christi 1601. usque ad annum 1605

Fleury, Claude

August. Vind. [u.a.], 1776

VD18 90118790

§. 186. Aliæ Sanctiones ejusd. Pontif. jussu editæ.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-67204](#)

beretur, ac de eodem Sancto ubique ab Sæc. XVII.
utroque Clero commemoratio fieret: Pa- A. C. 1605.
riter die decima sexta Novembris ap-
probavit Pontifex Collegium, quod o-
lim Matthæus Cardinalis sub patroci-
nio Divi Hieronymi dotaverat pro pia
egenorum Scholarium institutione in
Sacri Codicis & Canonum studio: Dein
veritus Pontifex, ne novissimum Cle-
mentis VIII. decretum de stabiliendo
certo Religiosorum numero in quolibet
Conventu negligeretur, omnibus Su-
perioribus die quarta Decembbris præ-
cepit, ut omnes Conventuum proven-
tus recognoscant, & juxta eos nume-
rum Religiosorum præfigant. Demum
die duodecima ejusdem Mensis Fratri-
bus Ordinis Carmelitarum Discalcea-
torum indulxit, ut ubique Conventus
de sola licentia Ordinariorum, nullo
aliarum personarum cuiusvis Ordinis
etiam regularium requisito consensu
fundare & erigere valeant.

§. CLXXXVI.

Aliœ Sanctiones ejusdem Pontificis jussu editæ.

Pari sollicitudine idem Pontifex ea,
quæ tam Sacros ritus quam debi-
tam Sacramentorum administrationem
concernunt, in Congregationibus ad id
insti-

*Decisiones
S. Congreg.
Rituum &
Episcop. ac
Regul.*

Sæc. XVII. institutis decidi ac declarari procur-
A.C. 1605. bat: Hanc in rem Sacra Congregatio
Rituum die decima sexta Januarii fui-
tuit, quod Episcopus, si Horis Can-
onicis interesse voluerit, certam adve-
tus sui horam designare teneatur, quia
evoluta Officium inchoari poterit, post
cujus initium sufficiat, si quatuor aut
quinque Canonici obviam adventanti
eant: nec illum, dum ad cameram E-
piscopalem accedit, associare teneantur,
nisi ex urbanitate: declaratum quoque
die vigesima quinta ejusdem Mensis,
quod Canonicus, qui sacrum solemne
die Dominico peragit, eodem die Ve-
speras cantare teneatur: pariter die un-
decima Junii sanctum, quod Episco-
pus Regularis debeat Officium recitare
juxta Ritum suæ Diæcesis, non sui Or-
dinis: Capellanus quoque Episcopi, qui
cum illo Officium recitat, se illi accom-
modare teneatur: de cetero autem pre-
ces ad impetrandam pluviam inditæ
non recitentur intra Missarum solemnia,
ne ea interrumpantur: Statutum infor-
per die tertia Septembris, quod Archi-
presbyter non se ingerat in Regimen
chori, cum id ad solum Cantorem spe-
ctet: Sacra etiam Rituum Congreg-
atio die vigesima quarta ejusdem Men-
sis declarabat, quod commemoratio
omnium Defunctorum non sit celebra-
da

da in die Dominico, sed feria secunda: **Sæc. XVII.**
consuetudo autem, ut Campanæ ad **A. C. 1605.**
Salutationem Angelicam non pulsen-
tur ante Ecclesiam Matricem, omnino
servetur: ubi observandum, quod hic
pulsus meridianus jam circa annum Do-
mini millesimum quadringentesimum
quinquagesimum sextum a Calixto III.
Papa natione Hispano institutus fuerit:
Dein eodem die Sacra Rituum Congre-
gatio decidit, quod Festum SS. Sacra-
menti post octavam eo fine transferri
nequeat, ut solemnis supplicatio eo de-
centius celebretur: Præterea Sacra
Congregatio Concilii statuit, quod an-
ticipata celebratio pro incerto eleemo-
synam oblaturo omnino sit prohibita.
Ejusdem quoque Menis die vigesima
quinta sancitum, quod Monialium Con-
fessario vel Monasterio certum quid pro
victu assignetur, præter id vero aliquid
ei tribuere Monialibus sit prohibitum:
confessionalia autem ex Sacristiis, aliis-
que locis occultis removeantur in ex-
terioribus Monialium Ecclesiis collo-
canda, uti die vigesima nona Novem-
bris Sacra Congregatio Episcoporum
decrevit.

§. CLXXXVII.

*Initia Donauerdani tumultus a Lu-
theranis suscitati.*

Hoc

